

## CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

c. non astiti-  
mamus, c. 16  
pus. 23. q. 2  
Ex prag.  
August.  
1. Tumo. 3

diei translatione grauaretur, In quibus etiam ad populum fiat admonitio, declaraturque quibus potissimum modis dei misericordia pro animabus am- bienda sit, Sic ut interim admoneantur hi, qui funebres pompas ac missas gloriæ tantum aucupandæ causa instituunt, perdere mercedem suam. Des- bet quoque plebs doceri, pium esse, quemadmodum ab Apostolorum tem- poribus, ecclesia (quæ columna & firmamentum veritatis est) & docuit & obseruauit, pro defunctis dominum exorare, & eleemosynas in linus paupe- rum largiri, atque hæc eis prodesse, qui in communionem ecclesiæ & signo pacis decesserunt, & qui cum uiuerent, hæc sibi ut postea possent prodesse, cooperando meruerunt.

Qui ad exequias euocandi. Cap. XXIX.

**A**D exequias, quæ extra ciuitatem nostram Coloniam celebrantur, non euocandi monachi, nec ista cohors leuium ac indignorum sacerdotum, Aut si euocentur, videndum ipsis, ne lasciuiant. Quanquã nobis magis pro- betur, ut qui uolet, pietate ductus, multiplicari pro defuncto preces, is mo- nachos in suis monasterijs ac clericos singulos in suis templis permanere si- nat, ibidemque preces ac missas peragere. Quoniam enim spectat concursus iste, interdum quæ par est immodestior, quæ ad captandam auram popularem: Ca- uenda uero summopere post exequias delicata conuiuia, crapulæ ac comese- sationes, ne deus placandus magis irriteretur.

DE POENITENTIAE partibus. Cap. XXX.

Iohan. 20

**I**N sacramento poenitentiae explicando ac recte ministrando, maturitate multa ac diligentia opus est. Veteres orthodoxi poenitentiae partes tres nobis tradiderunt, Contritionem, confessionem, ac satisfactionem, seu fru- ctum poenitentia dignum. Quanquam poenitentia quatenus sacramentum dicitur, potissimum in absolutione presbyteri consistat, qua ille ex virtu- te uerbi & clauium sibi a Christo traditarum, peccatorem poenitentem, & in misericordia dei sperantem, a peccatis suis absoluit, de quibus paulo latius in Enchiridio dicemus.

Prima poenitentiae pars, contritio, in suggesto semper pettractanda. Cap. XXXI.

Hebrae. 6

Math. 3.  
Acto. 2

**P**rima poenitentiae pars, quum omnis euangelicæ prædicationis exordia- tum sit, nunquam non est in suggesto pettractanda. Hac enim cõfugitur ab ira dei ad misericordiam, hac conuertimur ab operibus mortuis ad deum uiuentem, hac subducimur a peccati ac diaboli laqueis, ac incorporamur Christo. Vnde a poenitentia præcursor Iohannes, deinde Christus ipse, ac princeps Apostolorum Petrus, prædicationis euangelicæ doctrinam sunt exorsi. Poenitentia autem tum recte prædicatur, quum arguuntur scelera, ac fia